

*Bibliothèque numérique*

**medic @**

**Bellot, Florent-Joseph - candidat /  
Roze, Jean-Baptiste-Adrien -  
président. -**


**1792.**

***Paris : Typis Quillau,  
Saluberrimae Facultatis  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2337a n°199***

SOCIETATI PHILOMATICÆ  
PARISIENSI,  
HANC THESIM  
IN FIDELIUS GRATI ANIMI MONIMENTUM,  
*Dicat vovet & consecrat,*



FLORENTIUS-JOSEPHUS BELLOT, Parisinus, è Societate  
Philomaticâ, Facultatis Medicinæ Parisiensis, Baccalaureus.



SOCIÉTÉ PHILOMATIQUE

PARISIENNE

LANGUE THÉOLOGIQUE

IN THEOLOGIS GRATI ANIMI NOMINENTUM

Deus vobis & confectis

DEUS VOBIS & CONFECTIS  
DEUS VOBIS & CONFECTIS

DEO OPTIMO MAXIMO,  
UNI ET TRINO,  
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

*Orthodoxorum Medicorum Patrono*

BIJ Santé  
Médecine  
Paris

QUESTIO PHYSIOLOGICA.

*An sola functionum corporis humani causa motrix irritabilitas.*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS  
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ mensis  
Decembris, anno M DCC XCII, primo Reipublicæ Francorum.

M<sup>o</sup>. JOANNE-BAPTISTA-ADRIANO ROZE, Doctore  
Medico Præside.

CORPUS humanum hîc considerandum venit tanquam machina quædam organica hydraulicis, hydrostaticis, pneumaticis, mechanicisque legibus gubernata, & quidem perfectissima, constans partibus ita inter se dispositis, & à naturâ accommodatis, ut omnes ad unum & eundem finem concursu conspirent unanimi. Modus autem quo finis ille obtinetur simplicissimus esse debet: aliter difficilior evaderet. Totidem enim occurrerent ambages & obstacula, quot varii & complicati modi adhiberentur. Majoris nimirum pretii, utiliorisque sunt usus, inter machinas hominum ex industriâ & arte natas illæ quæ pro causâ suâ motrice unius solum agentis requirunt opem. Quod prorsus de corpore humano rectè dicendum est. Illud quidem tali regimine moderatum feliciori sub aspectu splendescit, & egregiâ, quam accepit, origine dignius evadit. Quinimo hujusce causæ existentia, nedum sanæ physiologiæ leges & precepta subvertat, tanti ad varia explicanda

phænomena momenti est, ut alterâ sub hypothese cuncta sint problematica & mentis nostræ vires valdè superent, & quidem si functionibus tot motrices causæ concedantur, quot illarum sint diversæ species, quid fiet de mirandâ eâ harmoniâ, quâ splendido suo innumerorum phænomenorum apparatu superbit œconomia animalis? Quid fiet de horum fixâ certâ que & semper florenti successione? Si res ita se haberent; hæc in æternum manca infidaque foret; quinimò corpus ipsum tantas perturbationes sustinendi impar, statim ac suæ existentie prima fusciperet rudimenta, funditùs destrueretur.

## I I.

QUAMVIS ex nunc dictis sat probetur omnium functionum causam motricem esse unicam, sentiaturque hujus veritatis assertio; at tamen pauca hic addere haud inutile operæ pretium esse mihi videtur, quò res clarior certiorque fiat. Certè quidem, si quid hanc contrâ opinionem argui possit, nihil aliud est, quam organorum & viscerum nostrorum structura, quæ prout hæc numero varia sunt, multiplices varietates præ se fert; uti constat ex profectionibus anatomicis, nec non & physiologicis observationibus. Liquet itaque non eundem organis & visceribus agendi modum concedi, eo quòd suâmet ipsâ structurâ & naturâ, unicâ abhorreant ab illâ causâ. Fatemur organæ structurâ inter se discrepare. Quis illud negare audeat, nullus tam hospes & rudis in re anatomicâ & physiologicâ unquam reperietur: structuræ verò differentiam, tantum consistere, in symmetricâ & ordinatâ partium, è quibus illa efformantur, dispositione, & has partes suâ similes esse naturâ, huc usque nequaquam ambigitur. Hæc differentia necessitatis est quàm maximæ; ex variis nempe & innumeris figuris, quas sortiuntur viscera & alia organa, varia & multiplex phænomenorum productorum pendet series, indè patet organorum & viscerum structuram peculiarem minimè pertinere ad cujusque illorum primarium & essentialem agendi modum; hanc vero duntaxat causæ ad instar secundariæ ad id inservire, ut ab eâdem causâ varii gignantur effectus. Hinc demùm patet solis in organicis partibus quæ sunt ubique eadem, uti consentiunt omnes, causâ motricem inhærere.

## I I I.

VERUM enim verò quænam sit illa causâ? An ens quoddam sic-

titium, & confanguineum cum cæteris hujusce farinae, quæ excogitavit nimis credula antiquior physiologia: à me procul absit obscurum per obscuriora explicare commenta. Iis sua juxta debitaque tribuitur despicatio. Et qui sanæ veræque physiologiæ studio sese incumbunt, hi in rebus, quæ portentosum aliquid creari, ut explicentur, efflagitant, tacere, quam ineptas narrare fabulas, malunt. Qua propter his sapientissimis monitis instructus, tantummodo ad meam fulciendam quæstionem utar argumentis, quæ veritas ipsissima supeditat.

Posito semel illo principio, nempe quod functiones omnes ab eadem motrice causâ ad suas vices obeundas impellantur, investigandum necessariò venit, quamnam sit illa causa quæ præstantissimo hoc munere fungitur? autumo irritabilitati jurè ac merito tantam committendam esse provinciam.

#### I V.

IRRITABILITAS ea est juxta D. Haller & cæteros celeberrimos viros qui de illâ scripserunt, fibræ proprietas, quâ hæc ubi stimuli cujuscumque actione excitatur, brevior fit, contrahiturque. Fibræ muscolari functio illa tantum modò dicatur; undè viscera quælibet, quæ hujusmodi fibrarum congerie conficiuntur, irritabilitate gaudent quàm exquisitissimâ: eâ tamen lege ut vitalia viscera majori quàm cætera donentur.

Gelatinosi humores irritabilitatis facultatem mirè juvant. D. autem Haller censet hanc proprietatem præcipuè glutini animali inesse. Hæc enim eò magis viget, quò partes organicæ molliores flexilioresque sunt, id est, quò plus habent gelatinæ. Quod experimentis constat in insecta omninò gelatinosa peractis; majori quippè, perfectiorique præpollent irritabilitate, aliis quæ partibus ossis, cartilaginosis, & duris efformantur. Irritabilitas magis quoque exquisita deprehenditur, tenellis in infantibus quàm in adultis, in feminis quàm in maribus, in juvenibus quàm in senibus. Ratio est, quia fibræ corporis eò sicciore fiunt, arescunt & indurescunt, quò longius à primâ formationis origine recedunt: sexui quoque sesquiori quia mollior humidiorque fibræ elementaris conceditur fabrica, laxior corporis habitus & compages univèrsa. Quo autem pacto gelatinosi humores conferant ad irritabilitatis perfectionem, ex supra dictis faciliore negotiò deducitur? Sed demonstrare gluten animale præ cæteris partibus irritabilitatis proprietate donari: in quo consistat illa virtus: cur etiam potiùs juxta D. Haller, in gelatinâ elementari residat, hic opus, hic labor: quod unicuique indagatu non minus arduum & difficile videbitur.

ac si quis primas attractionis gravitatisque corporum causas scrutari & enodare susciperet.

## V.

Si quædam de irritabilitate ad hæc, quæ ex D. Haller scriptis selegi, addere mihi fas est, proprietatem illam elementaribus totius corporis fibris pariter essentialem esse sensibilitatem ac nervosis libentius asserere audebo: contenderem insuper fibram quam libet, nisi irritabilis sit, id est nisi ad quascumque impressiones veluti cerea inflectatur, existere non posse. Inde forsitan, ut irritabilitatis sensibilitatisque varia admodum explicentur phænomena, fibrarum duplex genus admittendum foret, aliud merè sensibile, aliud verò merè irritabile. Quod quidem profus tanti momenti non arbitror, quin absque eâ distinctione hæc concipi queant. A figuris enim variis, quas acceperunt fibræ, diversa phænomena pendere mihi videntur. Fibræ quædam præ cæteris sunt irritabiles, eò quòd ad id à naturâ comparentur; aliæ inversâ præditæ figurâ sensibilitate gaudent. Et certè quidem dum modo res altiùs repetere velimus, præfata sententiæ clariori sub luce occurret veritas. Paucis enim diebus à conceptione elapsis, id quòd olim corpus humanum fiet, tunc nihil aliud est, quàm punctum quoddam, undique lymphâ obductum, & in vesiculâ cellulosâ involutum. Illud autem, quòd Harvæus punctum vocat saliens, homoganeis constat moleculis: ex his tamen efformatur corpus partibus diversis confectum. Moleculæ enim quæ ad cerebri fabricam adhibentur, eadem sanè sunt ac illæ e quibus musculare systema sua suscipiet rudimenta: at prout has vel illas induunt formas, ad hæc vel illa obeunda munia magis idonea veniunt. Hinc non mirum cerebrum sensibilitatis organum fieri, irritabilitatis verò systema musculare. Idem dicendum est de cæteris corporis partibus organicis, quorum irritabilitas magis ac magis evanescit, quò a figurâ ad hanc proprietatem delegandam requisitâ longiùs recedunt moleculæ.

## VI.

JUXTA nostram opinionem irritabilitas statim, ac prima fibrarum apparent lineamenta, existere debet. Cum autem primo conceptionis instanti, nihil aliud in utero conspicuum sit, præter punctum glutinosum saliens dictum, ad disseminandam per totum corpus irritabilitatis facultatem, requiritur, ut punctum illud sese expandat, formam humanam suscipiat, & formetur fœtus: quòd evenit accretione,

quâ partes sunt solidiores, & ad functiones exsequendas aptiores. Tunc has inter partes, quæ mucaginis plus retinent, eâ perfectiori donantur irritabilitate, uti examinando fibras musculares, & viscera ex his partim vel omnino confecta deprehendere in promptu est. Partes verò cæteræ, licet nulla tenus musculares, aliquo etiam irritabilitatis gradu fruuntur, si quidem gelatinam ex his & durissimis extrahi posse comprobet ars chemica.

## V I I.

INNUMERA hæc experimenta de irritabilitate tentanti D. Haller scopus alter fuit, videlicet ut partes inter irritabiles & non irritabiles discrimen stabiliretur quàm certissimum. Ex his enim prorsus fidelissimis, deducitur partium irritabilium respectiva series illa, veluti à naturâ ordinata, quæ sic se habet.

Partes irritabiles hæc sunt: cor, systema musculare, diaphragma, ventriculus, intestina, vasa lactea, canalis thorachicus, uterus, organa utriusque sexûs genitalia, quorum irritabilitas aliquid admodum peculiare, & mirandum offert; partes denique omnes, quarum ad fabricam fibræ musculares conferunt & aliæ quæ elementaris gelatinæ portionem aliquam continent.

Experimentis à D. Haller allatis constat insuper irritabilitatem majorem in viscerum internas parietes exerceri, quod prorsus ad illustrandam nostram quæstionem maximi est momenti.

## V I I I.

QUÆ cum ita sint, & invictissimis quidem fulciantur experimentis, irritabilitatem præ cæteris agentibus, primam in æconomia animali personam agere, affirmare consentaneum & rectum esse videtur; & insuper horum omnium unicum pro solâ causâ motrice illud habendum esse. Etenim ferè ubique in corpore vicens hoc præstantissimum mobile deprehenditur: eodem instanti quo fibra esse incipit, illud sese explicat, & agit; languescunt & extinguuntur functiones, quando illud vel iners, vel agere desinit; denique virtus ejus post mortem diutius superstes adhuc manet. Aliundè ex modo dictis apparet vitalia organa præstantiori irritabilitatis gradu in genere notari; à functionibus autem vitalibus, cæteras, quæcumque sint, pendere neminem fugit; sublatis nempe, statim funditus extinguuntur aliæ. Hinc sequitur functiones tum naturales, tum animales virtute irritabilitatis minus egere. Attamen or-



gana inter & viscera, quæ has vel illas exercent alia ex integro, alia verò partim ex fibris muscularibus conflantur, & glutine elementari non orbantur. Ratio discriminis hujus in structurâ & figurâ organi investiganda est.

Certè quidem lucidiori sub aspectu hæc omnia paterent, si singulæ functiones seorsim examini subicerentur. Illud autem nimis angusti & soliti thesæos vetant fines. Hæc duo igitur sufficiant: 1°. ut ex demonstratis unius omnium functionum motricis causæ necessaria videatur existentia: 2°. ut ex probatis manifestum sit nec pluribus causis tribui, nec aliam agnosci posse, præter irritabilitatem.

*Ergo sola functionum corporis humani causa motrix irritabilitas.*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*CROCHET, Chirurgiæ gall.  
id. an. 1785-86, Professor.*

*MARINIER, Chirurgiæ lat.  
id. an. 1786-87, Professor.*

*LE THIEVILLIER, Salub.  
Facultatis Decanus an. 1768-  
74, U. Pharmaciæ Professor,  
an. 1777-78.*

*BERTHOLET, U. Pharmaciæ,  
ann. 1784-85, Professor.*

*LE ROUX, U. Pharmaciæ  
M<sup>o</sup>. Bertrand susceptus an. 1780-  
81, Chirurgiæ gall. an. 1783-  
84, Professor.*

*MALOET, Physiologiæ & Pa-  
thologiæ an. 1759-61, Professor.*

*THERY.*

*ROUSSEL, Bibliothecarius,  
an. 1780-81, Professor.*

*ALLEAUME, Astis Obstetri-  
ciæ, ann. 1755-57, Chirurgiæ  
lat. id. ann. 1761-62, Rei Her-  
bariæ 1772-73, Professor, Sa-  
lub. Facul. Decan. an. 1774-76.*

Proponebat Parisiis FLORENTIUS-JOSEPHUS BELLOT,  
Parisius, è Societate Philomaticâ, Facultatis Medicinæ Parisiensis  
Baccalaureus, Thesæos auctor.

---

Typis QUILLAU, Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi. 1792.

